

dominus ipse ait Ioan. 15. Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia nota feci vobis, quæ audiui a patre meo. Sicut enim amor mundanus, atque carnalis in omnibus excecat eos, quos arripit, ita ut ea, quæ amant non cognoscant, sed preciosa reputent, quæ vilia sunt, & bona, quæ sunt mala. Ita e converso charitas, per quam Christus inhabitat eos, quos possidet in omnibus illuminat, quia facit affectibus mentis accedere ad eum, de quo dicitur, Accedite ad eum, & illuminamini. De quo Augustinus de trinitate ait. Quantum flagrantius Deum diligimus, tanto ferentius, ardentiusque eum videmus. Cuius prima causa est, quia charitas compescit, & tranquillat insolentem carnalium desideriorum tumultum, qui intellectuale oculum obnubilat. Altera causa, quia amor Dei facit amantem sedulius, intimius, & attentius inquirere statum amati, & placentia sibi. Vinum denique perfectius gustando, videndo que agnoscitur, quam videndo solum. Amor autem gustus quidam experimè talis est amati. & per consequens facit ad pleniorum eius cognitionem.

Meretur demum amor sincerus, ut amans spiritualiter ab amato dirigatur, & in secretis quibusque illufretur. Hinc Sap. 8. dicit de sapientia patris Christo domino nostro. In animas sanctas se transfert, amicos Dei, & prophetas constituit. Ecce habetis signa aduentum Christi in mentem, quorum tamè vltima duo in eis apparent, quos ita inhabitat, ut ad perfectionem usque subuehat. Quæ si in nobis cognoscimus, gaudeamus, honorem domino tribuentes, sin verò lachrymis, & precibus tam digni hospitibus aduentum salutiferum præstolemur, nec cessemus, quia veniens veniet, & non tardabit, si tamè locum, ubi quiescere possit, in nobis inueniet præparatum, dominus noster Iesus Christus cum patre, & spiritu

ritu  
sancto in secula benedictus, Amen.

DE EADEM DOMINICA  
Sermo II. in ordine VI.

**T**Ves qui venturus es, an alium expectamus? Mat. 11.

Beatitudinem omnes homines expectant, nam illam omnes desiderant, & querunt ardentissimo amore, ut vult Augustinus, 13. de trinitate & Magister distinct. 49. quarti. Quod verò queritur, etiam speratur. Nam secundum Hieronymum ad Demetriadem, appetendi omnis conatus perit, consequendi desperatione. Quis enim unquam ad eam rem conatum fecit, quàm sibi compossibilem non estimat? Speratur itaque, quod queritur, quod verò speratur, expectatur. In hoc autè omnes querunt beatitudinem, quia omnes querunt bene vivere. Sed ut Boetius ait. plurimos deuius error abducit. Errant enim plurimi circa ipsum finem, vel circa media ad eum. Circa finem, qui eum querunt in his perituris huius mundi bonis, in quibus inueniri non potest, quos Boetius 3. de consolat. metro. & deplorat dicit. Hæc, quam miseris tramite deuo abducit ignorantia. Non aurum &c. Sed quoniam quod cupiunt lateat bonum, nescire ceci sustinent, & quod stultitiam transibit polium, tellure demersi petunt. Errant circa media, quicumque beatitudinem querunt per alia media, quam per dominum nostrum Iesum Christum, qui vnus est mediator, beatitudinem conferentis Dei, & hominum 1. Timo. 2. Quos dominus vocat fures, & latrones Ioan. 10. dicens. Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, fur est, & latro. Sequitur. Ego sum ostium, per me si quis intraverit &c. Ostium haud dubium, quod ad beatitudinem est Christus mediator perditam enim felicitatem recuperare nemo poterat, nisi verbum Dei se ipsum ostium constituens, aperiens, & introducens. Quia autem adhuc ascendere non poteramus, absconditum in sinu patris verbum, ut sic introduceremur,

Beatitudinem omnines expectant.